



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,  
Librosque undecim complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio  
Leodii, 1709**

Caput II. Circumstantiæ septem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](#)

dans primam speciem malitiae, circumstantia non est eleemosyna male facta. Ut enim circumstantia maneat circumstantia, supervenire debet actui, in prima specie bonitatis, vel malitiae jam constituto, speciem illam augendo, vel aliam ei bonitatis, aut malitiae speciem adjicendo.

## C A P U T I I.

## Circumstantia septem.

**4** Circumstantias quatuordecim assignat D. Bonaventura in 4. dist. 16. dub. 9. versibus hisce comprehensas:

*Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,  
etas, conditio, numerus, mora, copia, causa,  
Est modus in culpa, status altus, lucta purilla.*

Sed eas S. Thomas (post Tullium, & Damascenum) septenario hoc numero comprehendit:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quarum tres se tenent ex parte agentis, seu cause, videlicet quis, quibus auxiliis, & cur. *Quis* enim designat causam principalem. *Quibus auxiliis*, causam instrumentalem. *Cur*, causam finalem. Tres tenent se ex parte actus, scilicet *quomodo*, *ubi*, *quando*. Septima tenet se ex parte objecti, scilicet *quid*.

**5** Ceterum circumstantia *quis* non designat personam ipsam agentem secundum se; sed qualitatem, seu conditionem ipsius, an scilicet, sit religiosa, conjugata, &c. An Episcopus, Praelatus, &c. Frequenter quippe accedit, quod ratione qualitatis personae agentis, actus vel sit scandalosus, vel sacrilegus, &c. qualis alioqui non esset. Frequenter etiam bonitas vel malitia ipsius inde accrescit, intra eamdem speciem. Fornicatio namque Episcopi peccatum est procul dubio gravius fornicatione simplicis Sacerdotis; quemadmodum & Sacerdotis forniciatio gravior est fornicatione Diaconi, & Subdiaconi. Similiter humiliatio personae valde nobilis erga vitem personam, longe majoris est bonitatis ac meriti, quam humiliatio personae vilis erga valde nobilem.

**6** Circumstantia *quid*, vel *circa quid*, objecti substantiam non denotat, sed qualitatem, vel quantitatem, vel qualitatem personae circa quam peccatur, v.g. an res furto sublata sacra sit vel profana; gravis, an levis; an persona, cui detraxisti, sit sacra; an superior tuus; an persona, quacum fornicatus fuisti, soluta sit, vel conjugata, vel sacra, vel consanguinea, vel affinis.

**7** *Ubi*, & *quando* non significant nudum locum, & tempus, secundum se, sed speciam loci, vel temporis qualitatem, v.g. an locus, ubi furtum, vel homicidium, vel fornicationem perpetrasti, sit facer; an tempus,

quo servile opus fecisti, festivum fuerit. Quædam enim uno loco, vel tempore prohibentur, non alio. Quædam etiam, ratione loci, vel temporis, speciam, vel majorem contrahunt malitiam, prout ostendemus lib. 9. c. 10.

*Quibus auxiliis*, qualitatem indigit adiutoris, vel instrumenti, vel medii, quo ulti es ad opus perficiendum, an v. g. ulti sis ope dæmonis, vel alterius hominis ad nocendum, an ope lenonis ad pelliciendum ad fornicationem, an re sacrâ ad usus profanos, &c.

*Cur*, finem extrinsecum actus, seu operantis, designat (an v. g. oraveris propter vanam gloriam); non finem intrinsecum, seu operis. Hic namque ad substantiam actus spectat, non ad circumstantiam.

*Quomodo*, denotat modum accidentalem actus, v. g. fueritne intensus, an remissus; an efficax, an inefficax; an diu, an parum duraverit, &c.

## C A P U T I I I.

Quando actus ex objecto, adeoque ex specie sua & officio bonus, non fit ob specificam bonitatem suam, sed ob finem malum, v. g. ob vanam gloriam, non est moraliter bonus, sed totus malus: secus dum fit ob specificam bonitatem suam, licet cum defectu relationis in Deum.

**P**rima pars confitat ex Evangelico oraculo: **I** *Si oculus tuus* (id est, intentio) *nequam fuerit, totum corpus* (id est, opus) *tuum tenebrosum erit*, id est, malum. Matth. 6. Sic enim oraculum istud communiter intelligunt Sancti, nominatim Augustinus l. 4. contra Julian. c. 3. Unde Boëtius Topic. l. 3. c. 1. *Cujus finis malus, ipsum quoque malum est.* Et vulgata paræmia: *Quotiescumque intentio est prava, etiam electio prava est.*

Cujus ratio est, quia dum actus ex objecto bonus non fit ob specificam bonitatem suam, eam non participat, sed malitiam pravi finis, propter quem fit. Quod enim fit propter finem malum, ei positivè applicatur, & subservit, velut medium fini, ac velut ancilla dominæ. Quemadmodum ergo manus, vel uestis, positivè applicata pici, per eam inquinatur, & ancilla dominae subversiens in malo, participat malitiam ipsius; ita similiter, &c. Confer, quæ ad idem dixi libro præcedenti n. 74.

Altera pars fundatur, tum in Tridentino 1, sess. 14. c. 4. definiente, attritionem, ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, esse bonum motum & *Spiritus sancti impulsus*. Tum in doctrina Ecclesiæ, quæ per Pium V. damnavit propositionem quæ asserit, *virtutes Philosophorum esse vitia*, & per Alexandrum VIII. proscriptis eam quæ dicit, odium peccati, merè ob ejus turpitudinem, esse peccatum.

Ex qua doctrina Catholicæ Doctores recte 14